



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XXXIX. De Origine Mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIO XXXIX.

De origine mundi.

SECTIO PRIMA.

An Mundus potuerit esse ab aeterno quoad res permanentes.

I. **M**undum non fuisse ab aeterno, est de fide ex illo Gen. v. 1. *In principio creavit Deus caelum & terram*: & definitur in Concilio Lateran. sub Inno c. 3. in quo dupliciter lapsus est Aristoteles primò, quòd mundum ab aeterno fuisse asseruerit, deinde, quòd hoc ex alio peiore principio deduxerit, nempe, primum movens, seu Deum esse agens necessarium, & necessariò operari. Quare, inquit, non potuit non semper operari quando potuit, non magis quàm ignis applicatus stupæ non comburere. Quamvis S. Thomas i. p. q. 46. ar. 1. & alij eum exculare conentur.

II. Prima ergo sententia est negativa. ita S. Bonav. in i. d. i. a. i. q. 2. Albertus in Sum. p. 2. t. i. q. 4. m. 2. & in i. d. 44. ar. & in 2. d. ar. 10. Henricus quodl. i. q. 7. Less. l. 4. de Perf. Divi. c. 2. Valen. i. p. d. 3. q. 3. pu. 2. Tol. l. 8. Phyl. d. i. q. 2. Mercia l. 8. Phyl. d. i. q. 3. Tann. i. p. d. 6. q. 1. d. 3. n. 11. & alij plurimi.

III. Secunda sententia est affirmativa: tenet S. Thomas i. p. q. 46. ar. 2. Durand. in 2. dist. i. q. 2. & 3. Suarez d. 20. Met. l. 6. n. 11. 14. & 15. Vasq. To. i. d. 177. c. 5. Molina i. p. q. 10. ar. 3. Conimbr. 8. Phyl. c. 2. quaest. 6. & 7. Hurt. d. 16. Phyl. l. 1. Arriaga d. 17. Phyl. sect. 2. num. 15. Oviedo Cont. 19. Phyl. p. i. nu. 2. item S. Bonav. citatus, si solam inspectemus rationem: & multi ex recentioribus.

IV. Conclusio: potest creatura permanens produci ab aeterno. Ita auctores secunda sententiae. Probat. primò: non apparet ex quo capite id repugnet, ergo. Antecedens probatur nam non ex eo quòd sit productio. Patet enim aeternus generavit Filium suum ab aeterno: nec repugnat ex parte Dei. Deus enim potest quicquid non involvit contradictionem ex parte effectus: nec demum repugnat ex parte creaturae, non enim sequitur, fore eam infinitam simpliciter, sed solum secundum quid, nempe secundum durationem à pari: eandem, & participatam: sicut Angeli & animae durabunt in aeternum à parte post, & tamen non habent propterea infinitatem simpliciter, sed solum secundum quid. Conf. potest dari creaturae, & physice ei uniri sanctitas ipsa infinita Dei, ut contingit Humanitati Christi, quae per subsistentiam Verbi reddita est infinite sancta, quare ergo creaturae communicari non poterit aeternitas creata, infinities sanctitate increata imperfectior?

Dices, inde otiri repugnantiam, quòd causa esse debeat prior effectu. Distinguo, debet esse prior naturae, concedo; prior tempore, nego: prioritas autem naturae non exigit ut causa tempore antecedit effectum, vel ut duret plus quàm effectus, sed solum arguit dependentiam effectus à causa: imò parum refert quòd existerit causa tempore ante effectum, ex silentia enim toto tempore praecedente perinde se habet quoad hunc effectum hic & nunc, seu in hoc instante producendum, atque si non fuisset. Deinde, sol primò instante quo fuit, produxit lucem, anima intellectum & voluntatem, &c. Et ratio est manifestata, cum enim primò instante habeat res tantam virtutem ad hos effectus, atque unquam postea, non est

cur non posset aequè tunc exercere hanc virtutem, ac postea: nec enim hic requiritur aliquid aliud tanquam applicatio, aut quid simile, applicatio enim non est inter causam & effectum, sed tantum inter agens & passum, ut supra dictum est.

Nec est cur quis dicat, agens necessarium posse operari primò instante, non tamen agens liberum: primò enim Deus ab aeterno habuit actus liberos. Deinde, Angelus primò instante quo creabatur, potuit elicere actum liberum, & de facto anima Christi primò instante suae creationis obtulit se Deo Patri ad patiendum pro redemptione mundi, quòd enim aliquid temporis praecesserit in causâ liberâ antequam operaretur, parum refert, cum solum liberè operetur per vim innatam liberam, quam habet eo instante quo operatur, totum autem tempus quòd praecessit, sicut in causis necessariis, ita & in liberis, perinde se habet, a quo si non fuisset. Unde dum Angelus operatur in secundo instante, perinde est atque si in eo fuisset primò productus.

SECTIO II.

Objectiones contendentes rem permanentem non posse produci ab aeterno.

I. **O**bijces primò: si ignis produceretur ab aeterno, sequi, ignem fore combustivum ab aeterno, & tamen nihil posse comburere, & consequenter non esse combustivum, sicque fore ignem, & non fore Contrà, Deus ab aeterno est omnipotens, & tamen juxta adversarios nihil potest producere ab aeterno, ergo est omnipotens, & non est omnipotens. Resp. ergo, ignem illum posse comburere ab aeterno, si enim Deus crearet ignem ab aeterno & prope illum materiam dispositam, posset ignis ab aeterno in illam inducere formam ignis.

Dices, implicat hoc contradictionem, sic enim ab aeterno materia illa haberet, & non haberet: et formam ignis non haberet, ut supponitur, cum Deus materiam illam produceret sine omni forma: haberet, cum ignis ab aeterno formam ignis in eam induceret, ergo simul haberet, & non haberet formam ignis. Resp. negando sequelam; haberet siquidem materia illa formam ignis, licet eam non acciperet à Deo, sed ab igne, Deus enim non producit materiam illam excludendo formam, seu cum negatione formae, nec ad unum instans, sed praesens se habet, ut ut agens totale, circa formam in illâ materiâ, non negativè, id est, Deus ut agens totale praeberet concursus ad solam materiam dispositam, non tamen vult ut pro illo instante materia illa non habeat formam aliunde, sed solum ut quantum ad hunc concursus Dei eam non habeat: quod est Deum habere se praesens, non exclusivè. Et idem est, si Deus nunc in instante A produceret simul solem & aërem, aëre ille in eodem instante haberet lucem à sole in se productam, nec ad unum instans esset sine luce.

II. Urgebis, saltem si pulveri nitrato applicaretur ignis ab aeterno, non posset illum comburere, & formam destruere, nisi post aeternitatem, forma enim illa pulveris esset ab aeterno, & non esset. Contrà, nec Deus, qui est omnipotens, potest juxta adversarios quidquam producere, nisi post aeternitatem. Utrum

VI.
Agentiam
liberum ope-
rari potest
primo in-
stante quo
est.

Ignis ab a-
eterno ex-
istens possit
ab aeterno
producere
ignem.

In hoc casu
non sequi-
tur mate-
riam habi-
turam, &
non habi-
turam formam ignis.

III.

SECTIO III.

An, & quid sit instans Aeternitatis.

AD perfectam aeternitatis cognitionem, plenamque praesentis de productione rerum ab aeterno disputationis notitiam, plurimum conducit haec quaestio: quare, antequam ulterius in ea progrediamur, expedit eam discutisse.

Per instans aeternitatis intelligo instans aliquod imaginarium formaliter indivisibile, virtualiter tamen divisibile, immateriali quadam extensione excedens omne tempus etiam possibile, & imaginarium illudque essentialiter petens antevertere, & in quo quicquid est dicitur esse ab aeterno: quicquid autem in eo non est, quantumcunque tempore etiam infinito, hoc instans, aut horam in qua sumus, antecesserit, non est ab aeterno.

Negant quidam recentiores, qui esse aliquid ab aeterno nihil aliud esse dicunt, quam prius & prius extitisse in infinitum, nec posse certum tempus assignari, quando primo extitit.

Existimo tamen concedi necessarium debere huiusmodi instans aeternitatis. Probatum primo: nihil apud Patres & Theologos frequentius, quam Deum esse ante omne tempus, etiam possibile, & hoc dicunt esse Deum fuisse ab aeterno; ergo secundum illos est instans aliquod, omne tempus antevertens, Deo proprium, & quod omne aliarum rerum conformationem naturaliter excludit.

Probatum secundum: Pater in Divinis Filium suum, seu Verbum generans, non cum generavit successivè, sed instantaneè, ut constans habet Theologorum sententia, ergo cum generavit ante omne tempus, etiam imaginarium, & possibile, ergo concedi instans aliquod debet, ante omne tempus, in quo illud generaverit, hoc autem voco instans aeternitatis. Confutatio: quis dicat Patrem generasse Filium successivè, inquiri quantum temporis in illius generatione insumperit, antequam verum esset dicere, jam est productus Filius aeternus? quae tamen facile evitantur si huiusmodi instans statuatur, tempus omne essentialiter antecedens.

Probatum tertium: docent Patres & Theologi in aeternitate non esse prius & posterius, plus & minus, quod in huiusmodi instante virtualiter infinito, & indivisibili clarissime explicatur. In sententiâ autem prius & posterius, plus & minus extiterit in infinitum, dici hoc non potest, cum ibi sit prius & posterius, plus & minus, ut constat.

Dices; probare haec quidem debere instans aliquod dari, in quo Pater generavit Filium, & de quo alia supra posita verificentur, non tamen est necessarium, ut sit instans huiusmodi virtuale, sed sufficere momentum seu instans nostri temporis formaliter, & virtualiter indivisibile.

Contra primum, S. Aug. S. Thomas, & alij Patres, dum de aeternitate parte antè, non Dei tantum, sed etiam participatâ loquuntur, ajunt in ea reperi necessarium debere immutabilitatem, & uniformitatem, tam in essendo, quam in operando, ergo manifestum est non loqui eos de instante solum nostri temporis, in eo enim non posse non esse immutabilitatem, & omnimodam uniformitatem, certius est, quam ut probatione egeat. Dum ergo hoc peculiariter affirmant, & tam operose probant de instante aeternitatis, de longè alio instante loquuntur, quam sit instans momentaneum nostri temporis, nempe de aliquo virtualiter divisibili.

trum autem magis videtur mirum, Deum qui infinitam habet virtutem, nihil posse per totam aeternitatem à parte antè producere, an ignem per totam aeternitatem à parte antè non posse comburere? Instans, non potest assignari certum instans, aut tempus, quando ignis ille posset primo comburere pulverem, nam ab aeterno non potest. Contra, nec etiam assignari potest certum instans aut tempus, quando Deus potest primo creaturam aliquam producere, ab aeterno si quidem non potest juxta adversarios, ergo non est major difficultas in nostra sententiâ de igne respectu combustionis, quam in illorum de omnipotentia respectu productionis cujuscunque creaturae. De quo plura sec. sequente.

IV. Obijciens secundum: Angelum, si produceretur ab aeterno, posse etiam ab aeterno elicere actum liberum. Hinc autem sequitur, actum illum fore, & non fore liberum: fore, ut supponitur, non autem fore liberum probatur, actus enim ille necessarium debet continuari per aeternitatem, quoniam enim ab aeterno producit, non potest ab aeterno destrui.

V. Resp. primum, esse forè peculiarem difficultatem quominus talis actus liber posset ab Angelo produci, ob rationem jam positam. Secundum dici posset, si actus de libero transire possit in necessarium, actum liberè productum, continuari necessarium, ob circumstantias extrinsecas. Tertium tandem dico, eandem esse difficultatem de actu libero Dei, quo voluit creare mundum, aut de alio quovis, qui tamen fuit ab aeterno, & ab aeterno liber. Clarè ergo hinc intelligitur posse actum esse ab aeterno, & ab aeterno liberum, imò esse liberum per totam aeternitatem. Unde actus ille simpliciter esset liber, ad hoc enim sufficit, quod tunc quando elicitur, potuerit non elici; sicque quod Angelus liberè se flexerit ad hanc partem contradictionis, cum potuerit non se flexisse: licet posito quod ab aeterno se ad hanc partem flexerit, debeat actum continuare per totam aeternitatem. Hæc tamen est necessitas tantum consequens, seu ex suppositione quod voluerit illo instante actum illum elicere, posito enim quod voluerit eum in illo instante elicere, debet necessarium eundem conservare, seu habere per aeternitatem. Plura hæc de re sec. sequente, n. 13.

VI. Obijciens tertium: creatura omnis fieri debet ex nihilo, ergo ex negatione sui, ergo ab aeterno erat illius negatio, ergo non potest res esse ab aeterno, sic enim eodem instante esset res & illius negatio. Resp. rem esse ex nihilo esse eam produci sine subiecti concursu, non tamen ut procedat ex negatione sui, & hoc modo illud ex nihilo explicat S. Thomas, & alij, ut postea videbimus.

VII. Obijciens quartum: Patres negant ullam creaturam potuisse existere ab aeterno, & inferunt contra Arium, Verbum non esse creaturam, quia fuit ab aeterno. Confirmant frequenter Patres aeternitatem esse propriam Dei, nec posse competere creaturae.

VIII. Ad argumentum, Resp. rectè Patres contra Arium probare Verbum, ex eo quod fuerit ab aeterno, non esse creaturam, cum ex fide constet nihil creatum fuisse ab aeterno. Ad confirmationem dico, Patres, dum aeternitatem dicunt esse propriam Dei, solum loqui de aeternitate per essentialiam, seu ita ut creatura aliqua exigat, ut sit coeterna Deo. Quo sensu dixit S. Aug. l. 12. de Civit. c. 15. Angelos, licet semper fuissent, non futuros fuisse coeternos Creatori: Ille enim, inquit, semper fuit aeternitate immutabilis, isti autem facti sunt.

IX.
Sequeretur
Deum ali-
quando per
unum tan-
tum diem,
aut horam
existisse.

Contrà secundò, si Pater Filium suum ab aeterno genuit in instante nostri temporis, ergo verum est dicere Filium (& consequenter Patrem, totamque adeo Trinitatem) per unicum tantum momentum aliquando existisse, sicque similiter per unum tantum diem, aut horam nostri temporis durasse. Dignior ergo Deo, & illius aeternitate est philosophandi modus, quem hic amplectimur: dicimus enim nunquam ita propè ad initium existentiae Dei perveniri posse, quin infinito adhuc intervallo Deus antecesserit: punctum enim hoc, seu instans aeternitatis, quod dicimus esse ante omne tempus, licet formaliter sit indivisibile, est tamen virtualiter multiplex, & infinitum à parte antè, adaequans, imò excedens infinitis infinita tempora.

X.
Instans aeternitatis
essentialiter
antececit
omne tem-
pus.

Hinc infero primò, instans hoc, quavis divisibile, multiplex, & infinitum modo dicto, excludere tamen essentialiter à se coexistentiam temporis ullius, etiam possibilis, cum habeat praedicatum huiusmodi coexistentiae repugnans, petit enim essentialiter antevertere omne tempus, ut ostensum est. Licet verò explicari non possit, nisi per tempus, non sequitur ipsi formaliter correspondere tempus, nec aeternitatem hanc in se habere partes. Sicut ex eo quòd negationes explicari nequeant, nisi per res positivas, & res spirituales per corporeas, non sequitur, vel illas esse entia positiva, vel has quid corporeum.

XI.
Differentia
inter aeternum,
&
infinitum.

Infero secundò, differentiam inter aeternum & infinitum in duratione à parte antè, licet enim aliquid antè & antè extiterit per varias successiones, & durationes in infinitum, non tamen fuit aeternum, seu ab aeterno, cum non semper fuerit, sed aliquid illud antecesserit. E contra verò si aliquid fuerit productum in hoc instante aeternitatis, quamvis in nullo omnino tempore existerit, sed adveniente tempore perierit, adhuc fuit ab aeterno.

XII.
Quomodo
res ab aeterno
producta
non habeat
principium
in existendo.

Infero tertio, licet hoc instans aeternitatis antecedit omne tempus, non tamen dici posse rem in eo productam habere principium, in sensu Philosophorum negantium id quod est ab aeterno habere principium. In sensu enim Philosophorum id solum censetur habere principium, quod incipit, ut ajunt, *inrinsecè*, seu, de quo dici possit, *nunc est, immediate antè non fuit*; aut *extrinsecè*, de quo scilicet verum sit dicere, *nunc non est, immediate post erit*. Quorum neutrum rei in instante aeternitatis productae convenit, ut constat.

XIII.
Res ab aeterno
producta non
durat nec-
essario nisi
per instans.

Infero quarto, rem ab aeterno productam (ut Angelum, olem, aut aculiberum, de quibus sec. praecedente inquam, non necessariò conservari debere nisi ad unicum hoc instans, & adveniente tempore imaginatio posse destrui. Duratio verò per quam in illo instante existerant, non erat divisibilis & successiva formaliter, sed tantum virtualiter, sicut instans ipsum cui rem figebat; quae proinde duratio, accedente tempore imaginario, vel possibili, destruitur. Si verò res, ejus erat duratio, Angelus ex.g. adhuc perseveret, loco durationis huius instantaneae accipit successivam. Quod etiam de negationibus ab aeterno ad hoc usque tempus durantibus dici debet.

XIV.
Cur non sit
punctum
indivisibile
immediatè
instans aeternitatis.

Quaeretur, sicut pro aeternitate statuimus huiusmodi instans virtualiter indivisibile, ante omne tempus imaginarium, cur, inquam, non statuamus aliquid indivisibile in spatio imaginario locali, ultra quod non sit assignabilis extensio localis? Resp. rationem esse, quòd non habeamus tale fundamentum, quod nos ad hoc urgeat, sicut ad illud. Deum scilicet fuisse, & Patrem aeternum generasse Filium ante omne tempus possibile, quod manifestum est fuisse in instante, nam quocumque tempore vel spatio divisibili potuit esse tempus, ergo instans aeternitatis petit antevertere omne tempus, ut supra fusiùs est

declaratum. Et eodem modo respondendum est, si *Cur non sit quis opponat*, in aeternitate à parte post ejusmodi instans aeternitatis virtualiter infinitum non inveniri: dico *temitatis* enim non habere nos idem fundamentum ad unum *parte post* asserendum, quod habemus ad asserendum aliud.

SECTIO IV.

Virum aliquid successivum potuerit esse ab aeterno.

PRima sententia est affirmativa: ita Okam in 2. q. 8. & in quodl. 2. q. 5. G. reg. in 2. d. 1. q. 3. Gabriel ibid. & alij Nominales. Valq. 1. p. d. 177. c. 5. Pererius 1. 15. Phy. cap. 13. Conimb. 8. Phy. c. 2. q. 6. & 7. hoc problematicè defendunt quoad motum circularem, non quoad rectum, Arriaga d. 17. Phy. l. 2. Oviado cont. 19. Phy. p. 3. & alij.

Secunda sententia negat posse motum, aut rem ullam successivam esse ab aeterno: ita Durand in 2. d. 1. q. 2. & 3. Suar. d. 20. Met. l. 6. n. 13. Scotus 8. Phy. q. 2. Rub. 8. Phy. q. 3. n. 27. Val. 1. p. d. 3. q. 3. p. 2. s. prima assertio. Tol. 8. Ph. q. 2. Hurr. d. 18. l. 2. & 3. & plurimi ex recentioribus.

Prima conclusio: motus non potuit esse ab aeterno. Ratio in nostra sententia scilicet praecedente explicata, est clara. Instans enim aeternitatis est quid indivisibile, essentialiter antevertens omne tempus, etiam possibile, & imaginarium, ut ibidem ostendi, ergo implicat quidquam successivum in eo reperiri.

Secunda conclusio: nihil successivum, quia successivum potuit esse ab aeterno. Hae etiam conclusiones videtur certa, nec egere nisi terminorum explanatione. Ad quod melius praestandum supponamus tempus & motum componi ex indivisibilibus. Probatur itaque conclusio: hoc successivum quia successivum includit essentialiter prius & posterius, seu duo instantia, sed nulla duo instantia sibi invicem succedentia possunt esse ab aeterno, quod enim est ab aeterno, semper fuit, sed implicat de duobus instantibus affirmare quòd utrumque semper fuerit, si tibi invicem succedant, ergo. Idem est in opinione, tempus, & res omnes successivas componente ex partibus, cum enim nulla pars sit, quae non sit divisibilis successivè, nulla est quae non includat prius & posterius, sicque idem hic redit argumentum.

Tertia conclusio: potest dari series continuata durationum ab aeterno, usque ad praesentem diem continuata, inquam, non continua. Explico conclusionem: continuata dicuntur quae non sunt interrupta, seu inter quae nulla intercedit intercapedo, aut intervallum, sed perpetuo ordine & concatenatione sibi invicem succedunt. Ut autem aliqua sint continua requiritur ulterius ut sint ejusdem rationis, ita ut sibi invicem uniri possint. Quod suo etiam modo verum est de rebus successivis.

Probo ergo conclusionem: Ponamus Angelum ab aeterno productum conservari à Deo usque ad hodiernum diem: hic Angelus necessariò semper habere deberet aliquam durationem, quae ipsum determinaret, & ad coexistentiam instanti aeternitatis, & toti tempori imaginario, quod jam inde ab instante aeternitatis ad hunc usque horam fluxit. Haec tamen durationes non sunt continuæ, sed tantum continuatae, seu non interruptae, licet enim reliquae omnes durationes dici possint continuæ, duratio tamen illa, quae Angelum fixit puncto aeternitatis, non potest unum continuum successivum cum reliquis co-nficere, cum specie ab ijs differat, utpote realiter indivisibilis, virtualiter autem infinite divisibilis, & extensa.

Quarta

VII. *Dari pos- sunt dura- tiones à parte antè in infinitum.* Quarta conclusio: dari possunt plures & plures durationes e parte antè in infinitum. Hæc conclusio patet in exemplo proximè posito Angeli ab æterno creati, & ad hanc usque horam conservati, hic enim plures & plures à parte antè habuisset durationes horarias in infinitum. Et de facto concedere hoc omnes debent, qui negationes admittunt à rebus possibili- bus distinctas.

VIII. *Argumentum contra durationes à parte antè in infinitum.* Contra hanc conclusionem hoc argumentum proponit P. Arriaga citatus n. 17. quod ait esse insolubile. In hac durationum infinitarum collectione, inquit, una esse debet prima: cum enim continuâ serie sese invicem sequantur, unam dari necesse est quæ reliquas omnes antecedit, & sicut postrema harum durationum, nempe hodierna, habet quod sequatur, & non præcedat, intermediæ quod sequantur simul & præcedant, ita una à parte antè esse debet, quæ præcedat, & non sequatur. Hoc autem dici nequit, si enim inter eas detur prima, ergo dabitur initium æternitatis, quod implicat, Angelus enim, si fuerit ab æterno, non potest dici habuisse initium sui, seu incepisse.

IX. *Solvitur prædictum argumentum.* Hoc argumentum, quamvis in aliis de æternitate philosophandi modis vim habeat, in meâ tamen sententiâ non urget. Dico itaque, in infinitâ illâ durationum collectione, etiam si concedamus fuisse ali-

quam primam, nulla tamen ex iis fuit ab æterno, utpote ante quas omnes præcesserit duratio indivi- sibilis correspondens instanti æternitatis, quam ex- plicui totâ sectione præcedente, & hic n. 6. Deinde dico, etiam si prima ex illis durationibus fuisset ab æterno, nihil per hoc derogari naturæ, & perfectio- ni æternitatis: quando enim philosophi negant rem ab æterno productam incipere, solum negant eam incipere *intrinsecè*, seu, ut verum sit dicere, *nunc est, immediate antè non fuit*: &c. De quo latius dixi sect. præcedente, n. 12.

Ex dictis infero, posse divinitus dari generationes ab æterno ad hunc usque diem sine interruptione continuatas, ut suprà de durationibus dixi n. 6. & 7. Dico itaque, si Deus ab æterno creet ignem, & si- mul approximatum ei materiam dispositam, ignis ab æterno in materiâ illâ producet alium ignem. De- inde, si in singulis partibus subsequentibus, diebus scilicet, horis, aut etiam instantibus temporis ima- ginarij, apponatur successivè alia & alia materia, novi semper & novi sine intermissione producentur ignes usque in diem præsentem.

Difficultatibus quæ circa infinitum in hoc philo- sophandi modo occurrere possent, satisfiet postea d. 46. dum disputabitur de infinito.

DISPUTATIO XL.

De Motu, Actione, & Passione.

SECTIO PRIMA.

Definitio, & terminus Motus.

I. *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.* Missis variis motus definitionibus quæ in idem recidunt, Aristoteles l. 3. c. 2. & cum eo Peripatetici omnes hanc statuunt motus de- finitionem: *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.* Quæ definitio non motum solum, seu altera- tionem successivam complectitur, quâ scilicet qua- litas aliqua successivè in subiecto producit, ut vo- lunt Conimb. l. 3. c. 1. q. 1. art. 1. sed alterationem etiam instantaneam.

II. *Explicatur definitio motus su- præ posita.* Motus itaque est ratio formalis qua potentia acti- va & passiva, in quantum potentia activa & passiva sunt, prodeunt in actum, & exercent suam virtu- tem. Sensus proinde definitionis est, *motus est actus entis in potentia*, id est, entis in actu primo potentis, *prout in potentia*, id est, in quantum habet potentiam activam & passivam, seu ut motiva est & mobilis, vel in quantum est potens movere & moveri. Non tamen est necessarium ad motum, ut sit eadem res quæ habet potentiam activam & passivam, cujus motus sit actus & exercitium, nam actio quâ ignis, vel calor producit calorem in ligno, est verè motus, & actus seu exercitium potentie activæ ignis, & passiva ligni: licet aliquando potentia activa & passiva in eandem rem concurrant, ut contingit in actibus internis.

III. *Actio ex conceptu suo non re- quirat ter- minum à quo.* Circa secundum: terminus motus duplex est, à quo, & ad quem. Circa quæ notandum, licet actio ex conceptu suo, non requirat terminum à quo, sive po- sitivum, sive privativum, ut constat si Deus ab æter- no produceret rem aliquam, & in productione Ver- bi æterni, ubi nec fuit privatio termini, nec actio- nis, ex quâ terminus ille, & actio proefferit: licet, inquam, hoc ita sit, actio tamen sub conceptu mo-

tus requirit terminum à quo, qui ad positionem rei per motum productæ destruat, ut dum ex calido fit frigidum, ex albo nigrum &c. ac proinde debet inter hos terminos esse naturalis oppositio: unde al- bedo non est terminus à quo dulcedinis, nec dici- mus, ex albo fit dulce, licet quod erat solum album, postea fiat dulce, non enim necessariò destruitur al- bedo ad positionem dulcedinis.

Aliqui motum & mutationem confundunt, qui consequenter dicunt ad motum non requiri nisi ter- minum à quo privativum, ut cum aer ex tenebroso fit lucidus, anima ex non vidente, intelligente, aman- te, videns, amans, intelligens, &c. Alij tamen & me- lius, ad motum requirunt duplicem mutationem, positivam alteram, alteram privativam, & conse- quenter terminum duplicem à quo, privativum alte- rum, alterum positivum. Sic cum lignum ex frigido fit calidum, illic definit & frigus, & negatio calo- ris, sicque est duplex terminus à quo. Unde motus propriissimè dictus est inter qualitates contrarias, in quarum productione & corruptione subiectum mu- tatur duplici mutatione intrinsecâ, nempe & per ca- rentiam formæ quam amittit, & per formam quam de novo acquirit. Alij demum volunt mutationem censendam esse quando forma inducitur in subiec- tum instantaneè, motum verò quando inducitur forma successivè, ut cum calor paulatim producit in ligno, vel manu. Sed est quæstio de nomine.

Motus ergo ut motus involvit in se denomina- tionem extrinsecam, eadem siquidem numero actio po- tuisset existere, & non esse motus, ut de facto con- tingit in conservatione, quæ eadem numero perseve- rans in secundo instante & in primo, in secundo ta- men non est motus. Deinde, si non esset frigus in ligno instante præcedente antequam in illud ignis in- ducit calorem, adhuc posset eadem numero actio in illud induci calor, quâ modò inducitur & tamen actio illa non esset motus propriè dictus.

Dicitur

Sub concep- tu tamen motus, actio requirit terminum à quo.

IV. *Quomodo differant motus, & mutatio.*

Motus in- cludit du- plicem mu- tationem.

V. *Motus est denomina- tio partim extrinseca.*